

1719.

1. Bastineller, Joh. Christ. Ordin. Felorum . . . Decanus :  
l. b. 1. p. 1. (ad Disputationem solennem Johannis  
Gottfriedi Vogelii inuitat)  
<sup>34. 36</sup>
2. Bastineller, Joh. Christ. De medico ex voluntate  
aegroti perperam curante . 3 Exempl.
4. Bergerus, Christ. Henricus : Lectorum benevolentiam  
ad orationem, quae professionem institutionum  
juris civilis . . . auspiciat . . . inuitat
- 5<sup>4. 6</sup> Berger, Christ. Henricus : De praescriptione  
scripturabilium . 2 Exempl.
6. Bergerus, Fr. Gottfriedus : Rector academicae Witten-  
bergensis . . . civis academici ad Dique ce-  
lebrantem natalium domini nostri Jesu Christi . . .  
inuitat.
7. Buhn, Joh. Gottlieb : Simulationem religionis  
ipso jure naturae illicitam . . . obstruenda.
- 8<sup>4. 6</sup> Hupmann, Christianus : De cessionibus jurisdictionis

et extra iudicialibus eorumque 2. exemplis

2. exemplis -

Koffler'sche nr. 106

J. Loescher, Mart. Fuch.: Animum creditis se

Aliis falso et vero inscriptam homini iminentes  
competere . . . defendit.

10. Loescher, Mart. Fuch.: Dissertatio . . . de iudicij  
opinionibus et sententiis exhibitis

11. Henckes, Gtfr. Ludw.: De variis feudorum  
divisionibus

12. Henckes, Gtfr. Ludw.: De renovatione  
investiturae et vinculo obligationis, quo  
dominus et vasallus iuricem obstringuntur

13<sup>te</sup> Henckes, Gtfr. Ludw.: Jansam de  
iure principis evangelici circa divortia  
veterinaria . . . proponit 2. exemplis.

14926  
= Menckenus, Goff. Ludw.: De rescriptione ambrosii  
venerabilis ex tunc et ca. mense. (unus ut videtur).  
2 Exempl.

15. Reimarus, Hermann Samuel: Vermerktes scheid. u.  
matri de Machiavelismus ante Machiavellum  
praemissio.

16. Spener, Jacob Carol: Institutio juris publici  
admodum in ceterisque quae actioni sunt utriusque  
tunc est praefatio --- indicit et commentat

17. Spener, Jacob Carol: publicas in J. C. Cuccij  
hypomnemata juris feudalis disputatio  
indicit et commentat

18. Spener, Jacob Carol: De tacita remissione  
feloniae.

19. Wernher, Jo. Baltherus: Ordinis jurisdicti. . .  
Securus: Actori benevolus d. p. d. (ad 1774).  
Liberum saltem Caroli Augusti Michaelis



instit.)

26. Wenzel, Fr. Balthasar, Ordinum juratorum . . .

Decanus: Libri benevolae S. p. d. (ut Disp.

salutem munitur Fr. Maurici Breunlii

instit.)

27. Wenzel, Fr. Balthasar: De cerebrinis certifi-

one corporis selecti.



13

5  
1719 7


LECTOREM BENEVOLVM  
 AD  
 ORATIONEM  
 QVA  
 PROFESSIONEM  
 INSTITVTIONVM  
 IVRIS CIVILIS  
 RITE AVSPICABITVR  
 QVA DECET RATIONE  
 INVITAT  
 CHRISTOPHORVS HENRICVS  
 BERGERVS D.

P. 160

*De adiumentis Iuris Civilis Romani in dijudicando  
 causis Iuris Publici Imperii Romani Germanici.*



LECTOREM BENEVOLOM  
AD  
ORATIONEM  
PRO  
PROFESSIONEM  
INSTITUTIONVM  
IURIS CIVILIS  
RITE INSPIRANTE  
QVA DEBET RATIONE  
INSTITUI  
CHRISTOPHORVS HENRICVS  
BERGERVS D.





**R**e minus, quam par erat, agitata, a multis, qui non e multis sibi uolunt uideri, de Jure Ciuili, prout sua quemque uoluptas trahit, iudicari solet. Ne plura dicam, alii, naeuis, quos in Jure Ciuili obseruare sibi uidentur, offensi, uolunt, ipso sublato, ad iuris naturalis rectaeque rationis normam cuncta reuocari, alii, cum eius usum, in priuatis ciuium caussis, non pari quidem benignitate, concedant, idem tamen illud ab usu, qui Iuri Publico accedat, aut maximam partem, aut prorsus, excludunt. Sed, istos suo abundare sensu, finimus, qui ea fastidiose respuunt atque arroganter, quae ex optimis naturae principiis, ab acutissimis doctissimisque hominibus, magno sunt studio eruta, nec minore solertia ad hominum societatem ciuilemque statum aptata. Suis confisi ingeniis, sua, quam sibi arrogat, sapientia pellesti, quid agant isti, uidemus. Volunt, scilicet, Rempubicam illam Platoniam, de qua ipse desperauerat auctor, suis, si Diis placet, auspiciis, de integro condi. At illa, in Ideis inclusa Platonis, in prouerbum non-Entis abiit, neque dum habet,

A 2

ubi,

ubi, extra cerebrum, consistat. Nam, cum fama conditoris sui, longe lateque peregrinata, animaduertit, extra terminos Orbis, cum Vtopia Thomae Mori, sedes esse quaerendas. At ueretur, ne, cum Ciuitate Solis, quam, oculo, credimus, ad miraculum usque armato, uidit in carcere Thomas Campanella, coniungi si uelit, prius, quam eo ascenderit, aestu tosta, pereat. Hoc igitur, intelligit misera, restare sibi, ut extra Lunae Solisque uias, duce itineris Marone, pergat, et, quocumque possit, procul hominum conspectu, procul terris, concedat. Sic legislatores noui, umbris somniorum delusi, dum uetera repudiant, meliora non suggerunt, nae faciunt, ut ex incertis incerta fiant omnia, et homines, sua acti libidine, ad pristinam reuoluantur uiuendi licentiam. Est sua quidem cuique ratio, nec tamen idem eiusdem usus. Nam multi uident magis id, quod rectum est, quam sequuntur. Multi, uel consuetudine, uel affectibus, deprauati, sic hominem exuunt, ut illud demum putent rectum, quod lasciuiae suae sit consentaneum. Itaque magna, ut, uel tacente Cicerone, sapientissimus quisque sentit, magna certe habenda est iis gratia, qui, legibus ex praescripto rectae rationis et aequitate naturali inuentis, docuerunt homines, quid recte fiat aut perperam, quemadmodum sit in societate uiuendum. Haec ratio est homines inter sese deuinciendi, haec uis legum ciuiliu, hic earum finis, quas qui delet potius, quam, pro reipublicae conditione et bono, mutat interdum et cor-

et corrigit, is uero mundum opinionibus non tam regit, quam distrahit, nouumque uniuersali licentiae, quae dirimat hominum coniunctionem, aperit Asylum. Verum relinquamus istos suae, quam prudentes haud curant, prudentiae, ut ueniamus ad eos, qui Jus Ciuile, in, nescio quos, fori angulos detru- sum, forensibus tantum disceptationibus, priuato- rumque negotiis, uindicerent, eique aut nullum, aut uix ullum, exiguum certe, in diiudicandis Regum, Principum, populorum, controuersis, in asserendis Procerum iuribus, in constituenda regundaque Imperii disciplina, dent locum. Horum uocibus incitati, iuuenes, qui spectant alta, Juris Ciuilibus studium despiciunt saepe, ad caussarumque patronos, minorumque rerum uel iudices, uel administratores, quales nec esse uelint ipsi nec uideri, atque adeo ad ignobiliores curas, amandant. Ipsi uero distitant, sibi, ad altiora nitentibus, excolendam esse iuris publici disciplinam, hanc, legum rudes ciuilibus, amplectuntur, hanc, quamuis non intelligant, futurorum tamen spe commodorum, exosculantur, hu- ius, quam, per inscitiam, domi capere non possint, foris discendae causa, ad externos commeant, nec apud illos, quaestus sui haud immemores, ac plerumque status nostri parum consultos, ulli parcunt sumptui. At enim, cum nos Germani iure ciuili Romano-Germanico utamur, non alienum est, Romani simul iuris rationem haberi. Hoc autem, constat, uel publicum esse, uel priuatum, alterumque

publicam, alterum priuatam, intueri utilitatem. Ac  
iuris quidem publici multae in Pandectis, Codicibus,  
Theodosiano et Justiniano, Nouellis Constitutioni-  
bus, extant reliquiae, ex quibus Jurisprudentia quae-  
dam Publica Romana concinnari posset, adhibitis eo-  
dem pariter iis, quae historia Romana, Notitia  
Imperii Occidentalis, et alii, de Magistratibus Roma-  
nis, scriptores, suppeditarent. Ex his collectum, Jus  
Reipublicae Romanae Publicum, a suisque primor-  
diis ad Justiniani usque tempora, et amplius paulo,  
productum, declararet facile, longe maxima doctrinae  
huius grauisimae momenta in superstitibus Jurispru-  
dentiae Romanae libris superesse. Haec autem, cum  
sint ex iure naturae et gentium deprompta, singulari-  
que accommodata iudicio, quin omni Juri publico,  
utrumque ius, quod diximus, respicienti, ad rationes  
scienter conficiendas, maxime conducant, dubitari  
neutiquam potest. Jus autem priuatum, quod Ro-  
manis continetur monumentis, etsi priuatis ciuium emo-  
lumentis inseruit, tamen, cum nihilo minus, quam pu-  
blicum, ex aequo naturae bonoque sit diligenter ex-  
pressum, ad iudicium, in caussis maioribus faciendum,  
adiumenti affert haud parum. Nam, uerum si ama-  
mus, saepenumero in controuersia Regia, rusticaque  
caussa, quod, salua maiestate, dixerim, eadem est deci-  
dendi ratio, cum utrobique spectetur iustum, hoc au-  
tem in priori caussa ex aequitate naturali desumatur,  
in posteriore ex lege ciuili, ita tamen, ut haec ipsa lex  
aequitate naturali nitatur. Itaque Cicero, cum per-

perquisitis officiorum rationibus, leges Quiritium consideraret, eas, contendit, *ferrè ex optimis naturae et ueritatis exemplis*, et Hugo Grotius, in commemorandis subsidiis, quae ad enarrandum Belli Pacisque ius attulerit ipse, delatus ad ueteres, Juris Romani scientiam profectos, hos quidem reliquis duobus antefert generibus, *his primis multum defert*, quod, ut ipse loquitur, *et rationes saepe optimas suppeditant, ad demonstrandum id, quod iuris est naturae, et eidem iuri, neque minus gentium iuri, saepe testimonium praebent.* Audiatur ad hunc locum Joannes Henricus Boeclerus, quam naturae et gentium, tam iuris publici, scientificissimus. *Vbi, inquit, dubitandum non est, quin ueteres Jurisconsulti, quos saepe laudat Grotius, huius quoque Juris Vniuersi fuerint peritissimi, et OMNINO INFINITA HVIVS DISCIPLINAE STVDIOSO suppeditent, etiam, cum Naturae et Gentium iuris nullam mentionem faciunt. Est enim Jus Romanum plerumque desumptum ex optimis naturalis aequitatis rationibus, et gentium saniorum placitis, ad quae, in ferendis legibus, PERSTVDIOSE animum attenderunt Legumlatores.* Haec ille. Nec uero aliter mihi unquam uisum est, qui, consideratis Romanorum uel ingeniis, uel studiis, uel maximis in iure enucleando laboribus, quorum similes nulla ullius memoriae gens suscepit, facile compererim, mihi que persuaferim penitus, aut in legitimis eorum scriptis, aut in mortaliū nullis Rationem, cum summa grauitate et utilitate publica, Excultam extare. Quanto autem plus rationis,

tionis, ad naturae gentiumque ius exactae, comple-  
ctuntur leges Romanae, tanto plus eae praesidii, ad iu-  
dicandum, afferunt Juri Publico, quod, iis contentum  
adminiculis, pleraque meliora ideo non respuit, quod  
nonnulla occurrant dissimilia, alia a nostrorum con-  
suetudine temporum discedant, quaedam a moribus  
Christianorum dissentiant atque sacris. Videt enim  
non imprudens Juris Publici cultor, leges ex iis, qui-  
bus latae sint, temporibus esse spectandas, in iis non-  
nulla ei, cui sancitae sint, reipublicae esse relinquen-  
da, in tam vasto legum, undique conquestarum, cor-  
pore facile quaedam uel disiuncta reperiri uel subob-  
scura, quae tamen saepe aliis potius causis, quam iu-  
ris interpretibus, uitio sint danda, nec id, quod ex  
nonnulla, ut saepe in hominum institutis ac legibus,  
laboret parte, in solidum esse reiiciendum, sed pari  
seueritate atque aequitate, tanta diligentia, quanta  
prudencia, de re tam diffusa, esse statuendum. Ec-  
quae uero leuia nobis et humilia, quae non insignia  
potius et excelsa, promittat illius populi ius, qui,  
terrarum princeps, tot nationum, in tribus Orbis par-  
tibus, uictor, una cum imperii finibus prorogabat  
iuris sui terminos? Hic Regum controuersias et po-  
pulorum non tantum armis, sed etiam legibus, disce-  
ptabat, hic, una cum legibus, prouinciarum rectores  
ipsoque Reges dabat, hic arx erat portusque gentium,  
tantumque maiestatis tribuebat sibi, ut ipsum terra-  
rum Orbis imperium sibi uindicaret. Docuerunt  
iam, cum Suffrido Petro, alii, Romanas, inter omni-  
um



um gentium leges, solas habere pondus auctori-  
tatis publicae, eas non uni cuidam ciuitati, genti,  
aut nationi, peculiariter aut priuatim, sed uniuer-  
so generi humano communiter ac publice, desti-  
natas esse, eas ex omnium nationum populorum-  
que scitis ac decretis, prudentissimo delectu, esse  
selektas, eas in ea ciuitate esse natas, cui, neque  
frequentia populi, neque diuersitate studiorum,  
neque uarietate magistratum, neque abundantia  
rerum, ulla comparari queat aut equiparari, ea-  
rum auctores non solum numero plures, sed et-  
iam sapientia praestantiores, esse, quam ullarum  
legum aliarum, quae usquam terrarum, ingenio  
hominum, inueniantur, eas tam concordibus re-  
cte iudicantium suffragiis probari, ut non modo  
priuati homines, sed principes etiam, et Rerum-  
publicarum antistites, non solum Romano Impe-  
rio subiecti, sed etiam extranei, non modo Roma-  
norum amici, sed etiam hostes, non tantum post Iu-  
stiniani et Lotharii memoriam, sed etiam ante eorum  
aetatem, eas omnibus omnium gentium legibus an-  
terulerint, eas denique esse, ex quarum cognitione  
non modo intra Romani Imperii fines, uerum et-  
iam ubique terrarum, fructus capi possint uber-  
rimi, multoque splendidissimi. Haec de praestan-  
tia Legum Romanarum cum demonstrent uiri,  
non

non leuiter docti, haud absurde pronunciare uide-  
tur Albericus Gentilis, *Ius, illis praescriptum li-  
bris, non unius tantum ciuitatis esse, sed et Gentium,  
et Naturae, et aptatum sic esse ad Naturam  
Vniuersam, ut, Imperio extincto, ipsum ius, diu se-  
pultum, surrexerit, et in omnes se effuderit gentes  
humanas.* Ergo et Principibus stare, et si priuatis  
conditum sit a Iustiniano. Haecenus Iureconsul-  
tus, ex Italis, Oxoniensis, summa certe doctrina,  
qui ipsi saepe Hugoni Grotio, ut hic fatetur ipse,  
lumen praeulit, mea quidem sententia, non, uti ui-  
sum est Antecessori Giessensi Celeberrimo, Ioan-  
ni Nicolao Hertio, reprehendendus, sed laudan-  
dus, cum Principibus non iniiciat frenos Iuris Ro-  
mani, sed huius excellentiam iudiciis illorum et i-  
mitatione dignam censeat. Quae cum ita sint,  
quis ambiget amplius, quin Iuris Romani latifun-  
diis contineatur singularis quaedam, et eminentis-  
sima, facultas publica regnorum iura uel diudi-  
candi accuratius, uel praeclare temperandi, uel, ex  
naturali ac gentium iure, enucleatius interpretan-  
di? At, Orbe Romano iam conuerso, quem An-  
toninus Imperator, non Pius, sed, demon-  
stratore Ez. Spanhemio, Caracalla, ciuitate  
impleuerat, quem, post alios, Iustinianus,  
collectione legum ac digestionem, ad certam  
iuris formulam obseruantiamque adstrinxe-  
rat,

rat, de auctoritate Romani iuris multum deceffit,  
adeo, ut, post tot ac tantas rerum uicissitudines,  
Ius Publicum pariter, ac Ciuile, presius acceptum,  
in aliam plane formam habitumque sit uersum.  
Scio, nos non in Imperio Romano, sed in Roma-  
no-Germanico, uersari. Scio, illius, quod dixi,  
hodierni Imperii iura non posse ex solis Iustinianeis  
fontibus deriuari, sed alios praeterea requirendos  
esse fontes, quos uel leges Imperii fundamentales,  
uel obseruantia praebeat, illae quidem Recesibus  
Imperii, aliisque plurium generum sanctionibus  
pragmaticis, comprehensae, haec autem ex Ger-  
manicarum rerum scriptoribus, Actisque publicis,  
cognoscenda. Scio, ad nominis Germanici di-  
gnitatem pertinere, ne patiantur uictores, eorum,  
quos uicerint, legibus se uinciri. Sed illa cuncta  
non obstant, quo minus, cum Imperium Roma-  
norum sit penes Germanos, cum Imperii Roma-  
no-Germanici nomen haud erubescamus Germa-  
ni, nos iidem credamus, ne in iure quidem Impe-  
rii Publico usum Romani iuris esse extinctum.  
Quid multa? Ut taceam, ius Romanum in Germa-  
nia, actu primo, tantisper censei receptum, dum  
iuri patrio non repugnet, satis profecto comper-  
tum habemus, in Germanico Imperio uel publi-  
cas Ordinum controuersias, ex Iuris Romani pri-  
uati

uati formula, diiudicari, quod, si Ludolpho Hugoni credimus, in iudiciis regionum Domini, ut priuati, considerantur. Satis, e contrario, nouimus, promulgatis, ac repetitis, Imperii Legibus pro auctoritate Romani iuris propugnari, et, expulso uulgi errore, edoceri, idem illud iuris Naturae et Gentium, quo inter alia fundamento contineri ius publicum aiunt, nomine dignum iudicari, neque alio, quam conuentionis, inter Imperatorem atque Ordines initae, loco haberi. Non parui certe momenti est, cum Ordinatio Iudicii Imp. Aulici uetat, Jus Romanum a mensa Iudicii Caesarei Aulici ullo remoueri tempore, cum iubet eadem, idem ius in eadem perpetuo mensa reponi, manifesto quidem indicio, in dirimendis grauissimis Procerum controuersis, ad ejusdem disceptationem oculos multo saepius, quam multis sit persuasum, intendi. Interim mihi id negotii, hoc loco, non sumo, ut expediam cuncta ac definiam, quae, de Juris Publici Justiniani, in Germania, auctoritate, inter Hermannum Conringium et Ioannem Ottonem Taborem, inter Ioannem Schilterum et Io. Georgium Kulpisium, alios etiam, sunt disceptata. Missa faciam, quae de Iuris Romani usu, in aliis obseruando gentibus, latius differit Arthurus Duckius, non inuitus largiar,

giar, multa, publice non recepta, uim legis non  
obtinere, sed in iis tamen magnum doctrinae u-  
sum agnosci a prudentioribus, haud sum nescius.  
Nec uero ipse, si cum externis agendum sit Regi-  
bus, lege Aquilia, ut Iureconsultus ille Argentora-  
tensis, agendum putem, et assenserim Hugoni Grotio,  
Regum Populorumque, qui Leges Romanas non sus-  
ceperint, contractus ex alio potius Naturae ac Gen-  
tium, quam Romano, iure aestimandos esse atque  
interpretandos, sic tamen, ut haud infitier, cum  
Romanum ius ab iisdem, sicut ostendimus, fontibus  
profluxerit, ab eo quidem, ad ipsam huius ge-  
neris interpretationem, multum adiumenti arcessi  
posse. Ceterum Juris Publici prudentia perinde,  
ac Jus Naturae et Gentium, superiore demum se-  
culo accuratius excoli coepit, prioribus temporibus  
uel ignorata fere, uel, ob causas a Limnaeo  
expositas, neglecta. Haec ipsa uero Jurispruden-  
tia publica nihilo secius, quam Jus Civile, ius  
suum considerat, quod uel ad personas, uel ad res,  
uel ad actiones, pertinet, eo plane modo, quo  
Vitriariae Juris Publici Institutiones sunt compo-  
sitaе. Quo fit, ut multae communes utrinque  
notiones occurrant, quae prius iam sint in iure  
Ciuili expressae, definitae, diuisae, in alias etiam  
linguas, Latinis nominibus seruatis, deductae, at-  
que

que ad publicos eminentesque actus translatae. Hic igitur quid intelligi possit sine Juris Civilis subsidio, quam necessario sine eo multa, in Juris Publici doctrina, ignorentur, multa perperam diiudicentur, uel me tacente, cognosci potest. Dicat pro me elegantissima, nec magis reipublicae muneribus, quam legationibus ipsis, spectata, uir doctrina, Vlricus Obrechtus, qui, de coniunctione Juris Priuati et Publici cum grauius differit, *Quidni enim, inquit, reputetis uobiscum, quando elementa Legitimae Scientiae perdiscitis, uos aedificii, LONGE AVGVSTISSIMI, fundamenta iacere, quod cum strenuo labore aliquando perfecteritis, non ad uilium liticularum diiudicationem, sed ad causarum, ex omnis aevi, omnium gentium, memoriis grauissimarum maximarumque, arbitria uos euehet. Postquam enim a principibus ciuilibus sapientiae, non ad dispositionem tantum atque ordinem commodiorem, sed plane inter fundamenta solidioris doctrinae, prodita est regula, EOSDEM PVBLICARVM, INTER REGES, DISCEPTATIONVM FONTES ESSE, quibus, EX TENORE ROMANAE LEGISLATIONIS, priuatorum controuersiae in iudicium deducuntur, nemini obscurum esse potest, cum personarum discrimina statusque, rerum atque acquisitionum uaria iura, pa-*  
*tionum*

*tionum et contractuum formulae, addiscuntur, non singularis saltem et priuatae, sed VNIVERSALIS quoque, et PVBLICAE, Jurisprudētiaē praesidia praestruī. Quae, MAGNA ET IRREFRAGABILI RATIONE, ad Romani iuris principia partesque reuocanda esse, prudentes decreuerunt.* Haecenus ille, Regii, apud Argentoratenses, Praetoris dignitate nuper illustris. Sed utilissima Romani Juris intelligentia me nec defensore eget nec praecone, uerum sua sese praestantia facile tuetur, sui que contemptum ipsa uindicat. Neque eo fecius quaedam, eodem spectantia, adiiciam cum, refellendae opinionis, quae multos incessit, causa, *pro Scientia Juris, contra Pyrrhonismum Juridicum, dicere instituerō, ut, more maiorum, aggrediar ad munus, mihi clementissime demandatum.* Nam, DEO felicem spei meae euentum largiente, euenit, ut **SERENISSIMVS POTENTISSIMVSQVE REX POLONIARVM ET PRINCEPS ELECTOR SAXONIAE** mihi, a Nobilissimo JCtorum Ordine commendato, ab Amplissimo Senatu Academico rite nominato, decreuerit prouinciam, ascensu facto, desertam, Justinianas Institutiones, in Celebrissima

berrima hac Academia, publice interpre-  
tandi. Quam quidem maximam MAXIMI  
REGIS Gratiam sicuti demississime ueneror, sic  
ea me, quoad eius fieri possit, dignum ut in  
posterum reddam, summa obsequii religione,  
omnique fide ac diligentia, quam officii po-  
poscerit ratio, contendam. Interim partes,  
mihi traditas, ut auspicato capebam, *PRO-  
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM,  
COMITES ILLUSTRISSIMOS, PATRES ac  
PROCERES literatae huius Reipublicae AMPLIS-  
SIMOS, ceteros bonarum FAVTORES artium,  
CIVES denique nostrates*, genere, ingenio, doctri-  
nae studio, florentissimos, quanta par est obseruan-  
tia, quibus decet modis, oro atque obsecro, ut me,  
*proxima die Iouis, Hora IX*, in publico solennique  
loco, uerba facturum, audire, et pro illa, quam mihi  
praestabunt ipsi, uel benignitate, uel humanitate,  
obseruantissimi hominis officium, deditissimi  
studium, a me deinceps expectare, ne dedi-  
gnentur. P. P. Nonis Februarii, anno  
recuperatae salutis *CIO IOCC XIX.*


---

VITENBERGAE

LITERIS VIDVAE GERDESIANAЕ.








ULB Halle  
000 654 957

3



TA-06





13

5/7

1719

LECTOREM BENEVOLVM  
AD  
ORATIONEM  
<sup>QVA</sup>  
PROFESSIONEM  
INSTITVTIONVM  
IVRIS CIVILIS

P. 160

RITE AVSPICABITVR  
QVA DECET RATIONE

INVITAT  
CHRISTOPHORVS HENRICVS  
BERGERVS D.

*De adiumentis Iuris Civilis Romani in diligendis  
causis Iuris Publici Imperii Romano-Germanici.*

